

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio Vicesima Sexta

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore

Respondente

GEORG-CHRISTOPHORO DOCKHORNIO

Nebtâ Tungeta.

Dominica Jubilate.

A. O. R. ch. 1703.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-

schlegelij

Dn.

IN VITIA RUM
EVANGELICARUM

CHRISTIANO GUEINZIO
PRAESIDE

Georgio Christiano Beckhorno
Rektor

Georgio Christiano Beckhorno
Rektor

Georgio Christiano Beckhorno
Rektor





ANALYSIS
EVANGELII

Dominica III. post Pascha.

Joh. 16. à v. 16. usq. ad 24.

PRÆMETIA.



Ommemoratur Gen. 37.

*v. 15. de Josepho, quod Parens
 ipsius Jacob maximo cum dolore
 & mœrore ipsum amiserit; Sed*

*summo cum gaudio ipsum non solum viven-
 tem, sed etiam in Aegypto regnantem invene-
 rit Gen. 46, 30. Aequè, cuius typus fuit, Iesus
 CHRISTUS miserabiliter, ubi morti traditus,
 amissus, sed postmodum inenarrabiliter, ubi re-
 surrexerat, gavisi fuerunt Discipuli: De hoc
 Discipulorum mœrore & gaudio vaticinatur
 Christus in Pericope Evangelicâ: In qua*

Y

THE-

THESIS I.

Partim habetur respectu Christi quoad antecedens vaticinatio v. 16. Ubi eius forma respectu abitus, & occurrit tempus pusillū. Quod sumitur adverbialiter, quemadmodum usurpatur Job. 13. 33. dum de temporis paucitate sermo. Unde Syrus reddidit paululum sive paulisper; Siquidem hora passionis & captivitatis imminebat, mors enim in januis iam erat, inquit Cyrill. lib. 10. in Joh. c. 10. Non tardat Dominus promissum, quamvis longum vobis videatur, quoniam adhuc agitur: cum verò finitum fuerit tunc sentiemus quam modicum fuerit, neq; tamen manifeste determinat tempus, quam diu ipsum non visuri sunt, ut opinatur Carthusianus in hunc locum, & Haymo, sed significatur quod pusillum tempus restet.

2. Tum est modus: Et non videtis me. Pro videbitis, more Ebrais usitato, uti patet ex verbo futuri Temporis וְיִרְאוּ: quod notat dum per mortem è conspectu remotus ut non potuerint ipsum videre. Quamvis alij per τὸ non videre intelligant ascensionem in cælos, qd, ut habet Beda, ubicunq; in sermone valedictorio Christus dicit se non visum iri: significat
illam

illam absentiam, qua post ascensionem futura erat: at quia Christus utitur voce *μικρόν* significat à suà in terris conversatione usq; ad ascensionem pusillum temporis intercedere Job. 12, 35. Quia autem subjungit v. 23. in illo die me non interrogabitis quicquam, non videtur convenire statui presentis vite, in quâ notitia non est perfecta, sed specularis 1. Cor. 13, 12. Deniq; quia additur v. 20. gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Interim tamen distinguendum inter proprium & principalem verborum Christi sensum, & inter eorum accommodationem secundariam, quia 1. Christi hic sermo est cum Apostolis quibus prædicit fore, ut post pusillum tempus ipsum non videant. 2. Quia Christus subjungit vado ad Patrem, per quod non sola ascensio, sed passio, mors & resurrectio intelligitur. 3. Quia dicit mœrorem habetis, ut intelligatur de presenti. Ideoq; verisimilius est per pusillum Christum tres horas & tres dies intellexisse; quia etiam alibi illud *μικρόν* ita accipitur Job. 7, 33. Ut discamus contingere piis, ut, cum in tranquillo sibi navigare videntur, sæpe magna tempestas oriatur Marc. 4, 37. Et significat fidelissimum se Deum interioris aspectus quandoq; subtrahere cognitionem, ut monet Tauler. 1, 2. de Circumcil. Domini.

Ty 2

3. Quoad

3. *Quoad* reditum iterum tempus: Et iterum pusillum. *Quod* est triiduum, & tamen non integrum. *Vti* constat ex historia Resurrectionis, inchoatos dies non consummationem intelligendos esse. *Vt* discamus crucem pro-
 vum non esse diuturnam Psal. 30, 6. Es. 45, 7.
 2. Cor. 4, 17. *Non* verò est ita accipiendum, quasi sit modicum respectu meriti & satisfactio-
 nis, cum patiatur persona infinite dignita-
 tis, & inestimabilis sublimitatis, quæ dicitur Rex Gloria 1. Cor. 2, 8. Princeps vite Act. 3, 15. Filius Dei Joh. 1, 34. Sed respectu temporis, ut intelligatur æquivalenter, licet non duran-
 ter.

4. *Et* modus: Et videbitis me. *Quod* factum tertia à morte die qua resuscitatum & redivivum se Discipulis suis conspiciendum dedit. Et quemadmodum primò *Ἰεωπέω*, de visione corporali, postmodum hic *ἐπιόουα* usurpavit; ut accuratior quasi contemplatio inibi præcesserit, cum nondum corpus clarifica-
 tum habuerit à similibus; postmodum verò tantum dispensatoria & eminens quasi per tu-
 bos opticos facta innuatur. Simulq; exinde colligitur Christum non coacte & invite, sed sponte & etiam potenter rediisse, corporaliterq; per modicum non videri, sed incomprehensibi-
 liter

liter adesse cum praesens adimpleat omnia Ephes. 4, 10.

5. *Causa, qua innuitur per effectum: quia ego vado ad Patrem. Per quod metaphorice intelligitur opus redemptionis & potissimum ascensionis in caelum. Ut particula quia αἰτιολογικῶς, non εἰδικῶς sit sumenda. Hincq; consolatio est, habet Chrylost. homil. 78. in Joh. quod etiam pios per crucem & mortem ad Deum vocarit, per ignominiam ad gloriam, per crucem ad lucem, per mortem ad vitam Joh. 5, 24. Quam certum est Christum per crucem ad Patrem abiisse, tam certum etiam est per crucem & mortem in gloriam caelestem nos introituros Actor. 14, 22. Non vero negat abitus ipsius praesentiam omnem, sed modo vulgarem & visibilem, quia ideo ad Patrem abiit ut nobis, non abesset, sed adesset, uti cum exiit à Patre non propterea non fuerit in caelis. Eundo quippe ad Patrem facturus erat ut esset & habitaret in sanctis, neq; eum relinquit nos orphanos Joh. 14, 18.*

6. *Quoad consequens, est Discipulorum dubitatio v. 17. In quo in genere per communicationem Rhetoricam: Dixerunt ergo quidam ex Discipulis suis inter se, Non quasi quidam intellexerint, quidam non:*

Siquidem omnes ignorarunt, Luc. 18, 34. Sed quia quidam neglexerunt genuinum horum verborum scire, quidam verò sensum desiderabant. Et quidem inter se conquirunt velut in secreto an ipsorum unus fuerit affectus? Unde distributive loquitur textus non audiente Magistro: nam verbum *εἰς εἶν* pro occultis etiam cogitationibus usurpatur Matth. 9, 3. Luc. 16, 3. Rom. 10, 6. Job. 7, 36. Ut discamus audita repetenda & ruminanda esse, quod arguit in ipsis studium discendi.

7. In specie per interrogationem: Quid est hoc? Ut discamus aequè inquirere, si quæ non satis assequamur.

8. Et per recitationem verborum Christi: Pusillum & non videbitis me; & rursus pusillum & videbitis me, & quia ego vado ad Patrem. Atq; ita verba Christi sine variatione repetunt, sine additione, vel detractione. Ut discamus verba Dei discernere ab aliorum explicatione iisq; nihil addere, nihil etiam detrabere.

9. Et eorundem ignoratio v. 18. In quo conclusio: Dicebant ergo quid est hoc? quod dicit pusillum. Reperiturq; tantum illud, cum potissimum in pusillo hareant. Ita sæpè minimum est quod turbat maximum:

mum: non quasi excludantur quoque cetera, sed quia primario ignorabantur ista.

10. Et causæ allegatio: Nescimus quid loquatur. Ita ingenue fatentur ignorantiam. Idque factum est ex conatâ, ut in reliquis hominibus, tarditate. Quamvis enim per Spiritus gratiam & verbi divini lucem cœperunt emendari; tamen manserunt reliquia, 1. ex præconceptâ opinione de terrenti Christi regni majestâte, 2. ex tristitia gravitate. Licet etiam concisa brevitâs, apparens contrarietas & repetita perplexitas impedierit, ut habet Chrysoft. homil. 68. in Joh. dum, inquit, propter tristitiam ut arbitror, ipsa enim omnium, quæ audierunt, oblivionem induxerat, vel propter verborum obscuritatem ut contraria locutum arbitrarentur. Si videbimus te, inquit, quomodo vadis? Si vadis, quomodo te videbimus? ideo dixerunt, se quid loqueretur ignorare. Ut discamus ingenue fateri nostram inscitiâ, quo possit verbum Dei mæderi eidem, simulque iudicij nostri infirmitatem & ruditatem. Inde non sequitur propterea scripturam esse obscuram in Articularis fidei & mysteriis cum illa obscuritas eloquiorum Dei, inquit Gregor. hom. 6. in Ezech. exercet sensum, ut fatigatione dilatetur & exercitatus ca-

piat quod capere non potest otiosus. Quin quicquid uno in loco obscurius, alio in loco clarius, unde petenda est Spiritus Sancti illuminatio Psal. 119, 34. Scriptura scrutanda Joh. 5, 39. & exempla aliorum imitanda Actor. 8, 35. Actor. 17, 20.

11. Tum est Christi interpellatio v. 19. In quo ea amplificatur per præscientiam: Cognovit autem Jesus quod vellent ipsum interrogare. Non ex mutua colloquutione, cum ipsi Discipuli v. 30. asserant non indigere ut quis ipsum interroget, sed ex Omniscientie possessione, secundum divinam naturam essentialiter ipsi propria, secundum humanam naturam personaliter per communionem hypostaticam ipsi communicata cum dicatur $\omega\lambda\eta\gamma\epsilon\mu\epsilon$ $\omega\sigma\phi\iota\alpha\varsigma$ Luc. 2, 40. habeatq; thesauros sapientie in se absconditos Col. 2, 3. norit omnia Joh. 2, 25. Ut colligatur ex his vera Christi Omniscientia propter Deitatem qua sola est $\kappa\alpha\tau\alpha\delta\iota\omicron\gamma\omega\upsilon\varsigma\eta\varsigma$ 2. Reg. 8, 13. 2. Paral. 6, 30. Unde Cyrill. lib. 11. in Joh. cap. 4. prevenit Christus interrogationem eorum opportunissime, ostendens se corda hominum ut Deum cognoscere. Quid enim latere potest eum, cui omnia nuda sunt? qui ad quendam Sanctorum dicit Job. 42, 3. quis est iste, qui me consilium velat? quumq;

quumq; verba in corde contineat, celare me arbitrat? ita undiq; ad fidem eos corroborat. *Ut discamus Christum omnia nosse. Ideoq; sic vivendum, ac si in conspectu Dei vivamus, inquit Seneca, sicq; cogitandum, tanquam aliquis sit, uti est, qui possit ipsum pectus introspicere. Deinde observanda quoq; est Christi beneficentia, dum Discipulos ob ignorantiam non rejicit, nec duriter ipsos tractat, sed infirmitatem eorum patienter tolerat & re ipsa adimplet, quod predictum est Es. 42, 3. Sic adhuc nobiscum agit saepe numero, suo auxilio preces nostras anteverit Es. 65, 1. Vti expertus est Centurio Matth. 8, 7. Paralyticus Matt. 9, 2. quippe qui plus vult dare, quam accipere, plus vult misereri, quam miser liberari. *Ut discamus infirmos recipere, inquit August. Rom. 6, 1.**

12. Et demonstratur summatim: & dixiteis de hoc quaeritis inter vos? Sicq; probat se esse omniscium & scrutatorem cordium. Et quamvis in statu exinanitionis à plenario personaliter sibi communicato usu liberè abstinuerit, tamen, quando voluit, usurpavit.

13. Sigillatim, tum de abitu. Quod dixi pusillum & non videbitis me. Dum, uti supra explicatum, ad passionem & opus redemptionis perficiendum ab eo.

14. Et reditu; & iterum pusillum & videbitis me. *Vbi omittit tertium membrum: vel quia prateritione quadam usus, & ex una sententia etiam alteram subintelligendam relinquit; vel quia pusillum bis repetitum ipsis potissimum scrupulum iniecit. Vt discamus verba retinenda esse in explicatione & resolutione, non inuertenda prout communiter in resolutione & explicatione fieri solet; ut, nescio ad qua non, quasi scriptura esset nasus cereus, hinc inde trahatur. Singularem igitur studio Christo placuit ita verba eodem ordine denuò recitare & propalare.*

15. Respectu Discipulorum, & est futura tum eorundem lamentatio v. 20. In quo alleveratio: Amen, Amen dico vobis. *Vbi per Epizeuxin usitata formula retinetur, qua in Johanne semper ita repetitur; & in scriptis Evangelistarum centies & bis occurrit retenta vel propter singularem Emphasin; vel quia Judaeis & aliis gentibus fuit familiaris & nota. Vt innuatur Christum Syriacè locutū esse. Usus verò eodem hoc in loco propter preconceptas de Messia terreno regno opiniones, propter quas improbabile ipsis videbatur, quicquid de persecutionibus protulerat: ideoq; Amen repetitum praemittere voluit, ut hinc explicationi fidem adhiberent.*

16. Et

16. Et declaratio, ab effectis sive consequentibus, quoad externa per Antithesin contrariorum, quoad Discipulos, sine voce: plorabitis seu lacrumabimini. Ita enim usurpatur quando cor angoris pondere premitur ex oculorum fontibus: Lacruma sunt legati doloris, ut loquitur Cyprian. l. 2. Epist. 7. Sic & usurpatur Matth. 2, 18. & adimpletur Matth. 26, 57. Marc. 6, 10. Ut discamus flere etiam esse virtuosum, ut Hiskia lacruma Esa. 38, 3. Davidis 2. Sam. 15, 30. Abrahami Gen. 23, 2. Jacobi Gen. 37, 34. Christi Servatoris Joh. 11, 35. testantur. Est enim lacruma boni cordis nuncia.

17. Tum cum voce: Et lamentabimini. Οἰκνέειν enim lamentari sletibus & commiserationi & vocibus accomodatis denotat, ut Lucianus usurpat. Et Ἰπὴν & cantum lugubrem Matth. 11, 17. Luc. 7, 32. significat. Unde proprie ejusmodi luctum, qui in funere mortui excitari solet 2. Reg. 1, 13. Jer. 22, 10. Causam ergo mœroris & luctus in Apostolis Christus innuit suam fore mortem. Ut discamus non nobis fingere tristitiam & planctum, sed esse alias causas quare dolendum & flendum.

18. Quoad

18. Quoad mundum sive adversarios;
 Mundus contra gaudebit. Per mundum in-
 telliguntur homines cum impij Judai, ut habet
 Cyrill. l. ii. in Joh. c. 5. quia cum tripudio oc-
 cisum esse Christum letabantur, uti patet ex
 Matth. 27, 42. tum pij. Interim lugeamus nos,
 monet Tertull. de Spect. c. 28. dum Ethnici
 gaudent, ut cum lugere coeperint, gaudeamus:
 ne pariter gaudentes tunc pariter lugeamus.
 Gaudere quidem bonum est, inquit Prosper
 lib. 2. de vita contemp. c. 13. sed qui gaudet,
 si non inde gaudet, unde debet, non potest esse
 bonum, quod gaudet. Mundus gaudet quia
 ij in presentibus quaecumq; gaudium habent,
 qui alterius vite vel nulla esse gaudia sperant;
 vel se ad haec pertingere posse desperant, ait Be-
 da. Ut discamus fugere tale gaudium.

19. Quoad interna: vos autem mæ-
 rore afficiemini. Nam hoc verbum λυπεῖσθε
 internam mæstitudinem denotat, & omnes do-
 loris species complectitur Matth. 26, 37. Vsur-
 patur de mærore & angore Christi in horto:
 Sic Paulus Rom. 12, 9. de mærore suo, quem ex
 incredulitate Populi Judaici conceperat. Qua-
 si diceret; vos vel maxime contristabimini,
 quod videbitis mundum vobis lugentibus exult-
 tare. Ut discamus miseras & calamitates esse
 quasi

quasi proprias notas piorum Actor. 14, 22.
 2. Tim. 3, 12. Et Chrylost. hom. 25. 1. Cor.
 Crucem & calamitates nominat characteres
 Evangelij, uti impij in hoc mundo contra sunt
 felices & lati.

20. Et eventum: Sed mæror vester
 vertetur in gaudium. Id quod completum est
 tum in Paschatos, tum in Pentecostes festo, quia
 hoc Apostoli letitia Spiritum acceperunt; dum
 Christum hilari corde predicaverunt Actor.
 5, 41. Bernhardus, illis plorantibus elevatus in
 cælum Spiritum Sanctum misit, qui affectuum
 eorum h. e. voluntatem mutavit, imò potius
 alteravit, ut iam magis velint Dominum as-
 scendisse, quàm prius detinuisse voluerant.
 serm. 3. de Ascen. Dom. Illud cum mulie-
 res de sepulcro redierunt cum gaudio magno
 Matth. 28, 8. Vbi gavisi sunt Discipuli quod
 viderint Dominum Joh. 20, 20. Adeò ut nec
 præ gaudio potuerint credere Luc. 24, 41. Sic
 ut enim Christo secundum carnem mortuo.
 mærore sancti, mundus autem letitiâ, est affe-
 ctus: Sic consequenter destructa morte suscita-
 toq; Salvatore mæror sanctorum in gaudium,
 & letitia mundi in tristitiam versa Cyrillus
 lib. 19. in Joh. c. 5. Unde pronomen ὑμῶν
 est Emphaticum; vester mæror inquit, in gau-
 dium

dium vertetur; mundi verò gaudium nunquam est defecatum ut non in mœrorem convertatur. Ergo illa est latissima catastrophe, quam post tristem *ἡτίσθω* Apostolis promisit. Mundus gaudet & plorat, sed Christianus plorat & gaudet, uti habetur Matth. 5, 4. Pulchrè Tertull. lib. de spect. c. 28. vicibus disposita res est. Nunc mundani homines letantur, nos contristamur. Seculum, inquit Christus, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoq; pariter lugeamus.

21. Et vivum afflictorum solatium, cujus declaratio, est parturientis post partū exultatio v. 21. In quo antecedens: mulier cum parit. Hoc enim est ipsarum proprium, quemadmodum & Natura & Scriptura docet.

22. Dolores habet, quia venit hora eius; Secundum comminationem Gen. 3, 16. Vbi per horam, tempus partus divinitus institutum intelligitur: decimus autem plerunq; mensis definitur. Vtitur verò hęc similitudine 1. ppter V. T. prophetiam 2. Reg. 19, 3. Es. 26, v. 17. 18. 2. propter convenientiam. Ita boni comparantur parienti, quæ gemit in partu, sed letatur in fructu, habet Glossa ordinaria, & plus gaudet
de

de adventu futura proles, quàm tristis est de presenti dolore.

23. Consequens effectus: cum autem peperit puerum. Per Synecdochen: nam non excluduntur etiam femina, quamquam in Græco sit $\pi\alpha\rho\rho\iota\sigma$ quod vocabulum utriq; sexui commune Matth. 14, 21. & 15, 38. & de fœmella in specie usurpatur Marc. 5, 39.

24. Jam nō meminit anxietatis. Quia non tantum à dolore, quem sustinuit in partu liberatur sed & memoria doloris, quia eius non amplius meminit, sublatâ enim causa, tollitur effectus. Quod si verò quædam muliercula post partum adhuc dolores sentiunt, & rarò fit, & ipsarum plerumq; vitio: nec ulla est comparatio inter partus dolores antecedentes, & partum sequentes. Parturitio est tristitia, partus autem gaudio comparatur: quod tunc magis esse consuevit, quando non puella, sed puer nascitur, ait August. tract. 101, in Joh.

23. Ratio: propterea quod gaudeat hominem esse natum in mundam. Chrysol. hom. 78. observat, mulierem non tam propterea gaudere, quod homo in mundo natus sit, quam quod ipsa prolem acquisiverit; ac proinde mysterij eiusdem cause Christum locutum fuisse ait. Et nimirum significaret quod post
resur-

resurrectionem suam, quae liberationi à doloribus partus respondet, non sibi, sed universo mundo quodammodo sit natus. Mulier vero ista est Ecclesia seu Apostolorum collegium, in quo primum erat Ecclesia fidelium. Tristitia partus est dolor de passione Christi, quae fuit in illo collegio. Nativitas hominis est resurrectio Christi, quae Christus de novo processit ad vitam immortalem, quantum ad corpus, quod prius fuit mortale, habet Lyra. Ut discamus magnum esse beneficium hominem nasci in mundum.

26. Et applicatio tum futura, est laetitiae duratio v. 22. In quo status, quoad Discipulos: Et vos nunc quidem mœrorem habetis. Ita nimirum applicat. Equè Apostolos in mœrore esse & dolore, uti parturiens mulier. Qui quidem dolorem dicuntur habuisse, tum ex predictione, tum ex triduo mortis. Beati siquidem, inquit Bernhard. serm. 1. in die Pentecost. oculi, qui videbant majestatis Dominum in carne, presentem auctorem universitatis inter homines conversantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos suscitantem, Daemonis imperantem & potestatem similem hominibus conferentem, mitem & humilem corde, benignam, affabilem, misericordia visceribus affluentem.

fluentem, agnum Dei peccatum non habentem,
sed omnium peccata portantem. Quid mirum,
Fratres, si implerat cor tristitia eorum cum ab
eis sese pronunciatet iurum? Quidni concate-
rentur viscera, turbarentur affectus, haesitaret
animus, haereret vultus, paveret auditus? nec
omnino aequanimiter discessionis eius sermo
posset admitti, ut relinqueret eos is pro quo o-
mnia reliquiserunt?

25. Quoad Christum: sed iterum vide-
bo vos. Principale enim & primarium mem-
brum iuxta Christiscopum consistit in eo, quod
quemadmodum parturientium dolori succedit
gaudium; ita quoque, merorem Apostolorum,
quem ex praedictione Christi mortis conceperat,
gaudium sit subsequiturum. Idque factum est,
tum post resurrectionem in apparitione, tum in
effusione S. S. hac promissio inchoative adim-
pleri coepit; tum in translatione in gloriam cae-
lestem, ubi consummative consummabitur pro-
missio videndi ut partim sit huius, partim eti-
am futurae vitae, ubi videbimus Dominum a fa-
cie ad faciem 1. Cor. 13, 12. Videbit ut coronet,
qui quondam vidit, ut vocaret, ait Beda. Et
quando Deus dicitur videre eos, qui in angusti-
is constituti, est sensus quod eis auxilio & gra-
tiosa sua assistentia adesse velit, eosque ex angustiis

is liberare Exod. 3, 5. sicut contra faciem su-
am abscondere, est quando auxilium differt
Psal. 13, 1.

26. Quoad Apostolos, respectu subje-
ctæ hilaritatis: & gaudebit cor vestrum.
Quod desumptum est ex Esa. 65, 13. opponiturq;
mundi gaudio, quod est corporale & externum
cum homines mundani destituuntur quiete
conscientiæ, ideo etiam destituuntur vero & æ-
terno conditi gaudio Es. 48, 22. Sed Apostolo-
rum & omnium piorum gaudium est spirituale
& internum. Et est verum & sum-
mum gaudium, quod non de creaturâ, sed
de creatore concipitur quod cum acceperis, ne-
mo tollet à te, cui aliunde comparata omnis iu-
cunditas maror est, inquit Bernh. Epist. 114.
omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum
est, omne decorum foedum est, omne, postremo
quod delectare potest, molestum est. Est gaudi-
um, quod non datur impiis, ait August. lib. 10.
confess. c. 22. sed eis qui te Domine, gratis co-
lunt, quorum tu ipse es; & ipsa est beata vita,
gaudere de te, propter te ipsa est & non alia.

27. Et respectu perpetuitatis: & gaudi-
um vestrum nemo tollet à vobis. Loqui-
tur enim in presentiis gaudis vicinitatem &


continuitatem cum perpetuitate coniunctam
 exprimat: quamvis praesens more Ebraeo poni
 pro paulo post futuro recte dicatur. quippe
 gaudium erit mirum, quod oculus non vidit,
 auris non audiit 1. Cor. 2, 9. erit gaudium ve-
 rum Ps. 30, 13. Gaudio enim huic iunctum est
 non desinere, nec in contrarium verti; quia cau-
 sa & objectum huius vitae est aeternum, ut est
 Christus qui ultra non moritur, sed perpetuo
 vivit Rom. 6, 9. illis est incorruptibile gaudij
 aeterni futurus, ut habet August. tract. 101. in
 Job. Deinde Apostoli per Spiritum S. in cordi-
 bus suis certi reddebantur, quod perpetuo apud
 Deum futuri essent in gratia Rom. 8, 28. Et
 licet Apostoli postmodum persecutiones pro
 Christi nomine passi sint, spe tamen resurrecti-
 onis illius accensi libenter quaeq; adversa fere-
 bant; imo omne gaudium existimabant cum
 in tentationes varias inciderent Iac. 1, 2.
 ibantq; gaudentes contumeliam pati Act. 5, 21.
 gloriabantur in tribulationibus 2. Corinth. 3,
 10. Res quidem necessaria est, inquit Bernhar-
 dus in Tract. 17. in Psalm. tribulatio, quae in
 gloriam vertitur, tristitia, quae mutatur in
 gaudium. Gaudium sed longum, quod nemo
 tollit a nobis, gaudium multiplex, gaudium
 plenum. Praelibemus igitur primitias gloriae;

gloriamur in spe gloria magni Dei; gloriamur in tribulatione: in ea siquidem spes gloria est, imò & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine. Et est Christiano recta gaudendi causa, non praesens seculum, sed futurum, ait Prosper in senten. 113. Ideoq; ut attendendum est temporalibus, ne obsint aeternis.

28. Et perfecta cognitionis usurpatio v. 23. In quo tempus: in die illo. Nempe cum à mortuis resurrexerit seq; vivum ipsis conspiciendum dederit, quod in superioribus, Apostolis etiam promiserat Ioh. 14. 20. Ideoq; hanc promissionem repetere & clariorem intelligentia lacem promittere valuit: quia animadvertibat nondum eos omnia perfecte intelligere: ut non tantum sit intelligendum de vita aeterna, ceu textus ostendit, sed de eiusmodi beneficio Christum agere, quod si non ex toto, ex parte tamen, gloria postmodum sit conferenda.

29. Tum effectus: me non interrogabit quicquam. Quia nulla opus erat interrogatione, uti patet ex Ioh. 21, 12. Tanta enim erat evidentia veritatis quod Iesus esset, ut nullus eorum auderet non solum negare, sed nec dubitare, & ideo non interrogare. Respicit igitur Christus potissimum ad quaestiones de suo abitu, verbaq; sunt intelligenda de subiecta

secta materia. Quod si ergo referantur ad diem Resurrectionis, tum excluduntur interrogationes, quae pertinent ad resurrectionis certitudinem; si referuntur ad diem effusionis Spiritus S., aequè excluduntur illae interrogationes, si ad diem vitae aeternae, in hac vita inchoatur, in futura erit consummatum: Non quia lumine suo non indigebunt, inquit Cyril. lib. II. in Joh. c. 7. non interrogaturos dicit, sed quia spiritum ejus in cordibus suis habentes omni perfecta scientia pleni erunt, seu ut Theophyl. & Chrysost. Hom. 78. non interrogabitis h. e. non obsecrabit, non petetis ita ut sit vester mediator, sed efficiet vobis nomen meum ut à Patre accipiatis petitionem. Quamvis prior expositio, cum aliud sit opus aliud idem, melior.



NOTE.

I.

Modicum] Considera paucitatem temporis in passione; ut discas tolerare & expectare infinitam durationem glorificationis.

Dicebant

Dicebant quid est hoc?] Considera
 Apostolos ignorasse & dubitasse; ut
 discas a què, si ignoras, inquirere.

GAudebit cor vestrum] Considera
 posse calamitatem gaudium promit-
 tere; ut discas pati quo gaudere queas.



C A S U S.

An baptismalia convivia cele-
 branda?

Videtur quod non 1. Non legimus
 post natum quempiam convivium
 celebratum, potissimum quum puerpera
 fuerint immunde Levit. 12, 2.

2. In R. Imp. de 1548. sub Tit. von
 etzlichen / quod convivia sint tollenda.

3. Debent recolligere vires, uti puer-
 pera, ita & fœtus, ideoq; quiete opus habent.

4. Fit Deo injuria, dum luxu offendi-
 mus, cui debemus gratias agere: saepe etiam
 illa honoraria, quæ offeruntur, absumuntur.

illa

Contra videtur 1. quia hic dicitur
cum peperit, anxietatis non meminit, pro-
pterea quod gaudeat hominem esse natum
in mundo Joh. 16, 21.

2. Gen. 21, 8. magnum convivium
instituit Abraham, & 1. Sam. 1, 24. etiam
Hanna.

3. Jura concedunt l. omne 7. C. de
feriis ubi dicitur nostris etiam diebus, qui
vel lucis auspicia, vel ortus imperii protu-
lerant.

4. Consuetudo: Ausonius vocat
etiam repotia, ubi inquit:

Cujusq; dapas aut sacra repotia Patrum.
ut interpretatur Turnebus. libr. 3.
c. 6. eorum epulas qui susceptis liberis facti
sunt parentes. Et constat apud Romanos
dies illos, quibus infantibus recens natis no-
mina imposita, convivis fuisse celebratos:
quod & apud nos in baptismo fieri notum.
Apud Athenienses itidem decimo die fie-
bat, ut patet ex Aristophanis Scholia-
ste. Tertul. nominat, Nominalia etiam
lustricos & lustrarios dies.

Ref.

Resp. ad. 1. Lex ceremonialis fuit, quæ
 jã sublata, ut quæ fuit usq; ad tempus corre-
 ctionis Ebr. 9, 10. Rom. 10, 4. Judei ha-
 buere *Misthe mehab* i. e. circumcisionis
 convivium, uti habet Stuckius convi-
 valium lib. 1. c. 16. p. 33.

2. In R. Imp. agitur de immodico
 luxu, quæ uti in his, ita in aliis improbant.

3. Ea ratione exhilaratur, & dum sem-
 per lautiora dantur, etiam ut recolligat vi-
 res, juvatur.

4. Per accidens illud fit, dum nimi-
 um indulgetur poculis, dum locus non
 parcitur. Neq; ipse Stuckius simpliciter
 improbat dum addit: si sunt frugalia, &
 moderata tempori, loco & facultatibus
 accommodata letitiãq; modestã facientia
 concedenda d. 1. p. 33. Quare verò nobi-
 les, consilarii & alij digniores non tenean-
 tur ea observare, uti quidam voluit, non
 video, quia omnibus luxus interdictus;
 omnes Baptismum venerari debent. vid.

Agricola Symboli Pythagori-
 cilib. 2. c. 16.

OS:SSO





AD RESPONDENTEM.

Sicut Amaltheæ cornu solatia praebeet
Sortis; Sic Christi concio grata suis.
Quando refert: erit & modicum quo nemo vi-
debit

Me rursus modicum, quando videbit, erit.
Ad Patrem quoniam modo vado: Sed enge
quid hoc est?

Dicunt Discipuli: talia nemo capit.

Quin repetunt: qd id est quod dicit talia? sanè
Nescimus, dicunt talia nemo capit.

Ast ubi cognovit, quid vellent; taliter infit:

Optatis modicum scire quid hocce velit?

Na dico vobis plorabitis: Orbis habebit

Gaudia; moeror at & gaudia vester erit.

Ceu mulier paritura dolore repleta gemiscit.

Ast ubi natus homo, gaudia rursus habet.

Aq, vos rursus quum videro gaudia tollent,

Tollet at à vobis gaudia nemo tamen.

Gaudia, quaso, crucem diuturnam, Christe, se-
quantur!

Ne, quod eis modicum, tempus in omne fuit.

Talia nunc repetit DOCKHORNIIUS. Illag
cornu,

Pergat! Amaltheæ gaudia vera dabit.

ita censeat

GUEINZIUS

Industrio Respondenti

S.

Est labor cornu locuples, quod olim
Ex Amaltheâ prohibent capellâ
Copiâ largâ varios dedisse
ruris honores.

Herculis cornu, celebrante famâ,
Angulos orbis peragravit omnes,
Inclutum donis, magis at labore
dives opimo.

Inde confusus pietatis ausis,
Copiam rerum sibi polliceri
Quis potest, vitæ & varios honores
expetiisse.

Ergo, DOCKHORNI, facis adprobante
Calculo nostro benè, quod labori
Deditus, sacrum meletomâ tentas
Pallade dextrâ.

Pergito tales pietatis ausus,
Tramitem virtutis ama! Labore
Improbo nobis bona cuncta vendit
Rector Olympi.

Perge, DOCKHORNI! fluet hinc celebris
Gaza doctrinæ Tibi, quin Salutis
Encheum cornu locuplete metto
Singula fundet.

Ἐν τῷ παλαιῷ χειρῶν ἱερογλυφῶν.

M. FRID. CAHLENUS
Corrector.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TIARUM
MELICARUM
Vicesima Sexta
 RESIDE
IO GUEINZIO
 fii Hallensis
 ector
ndente,
PHORO DOCKHORNIO
 à Turgeta.
ca Jubilate.
ch. Sc. III.
 SAXONUM
m Melchioris Oel-
blegely

Dn.

52

